



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius


Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XL. Tota vita Christi Jesu Filii Dei & hominis in hac terra crux
fuit & martyrium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XL.

Tota vita Christi JESU Filii Dei in hac
terra crux fuit & martyrium.

Cuncti dies ejus doloribus & arumnis pleni sunt. Eccles.

2. 23.

1.

ISaias Prophetarum princeps Christum Dominum & hunc crucifixum non tam verbis, quam & moribus expressit (Isaiæ enim nomen idem est quod *Salus*, seu *Salvator Domini*) hic, inquam, Christum à Virgine conceptum, inter jumenta natum, fugientem in Ægyptum, patientem, flagellatum, crucem bajulantem, ac tandem in cruce inter sceleratos pendentem non tantum graphicè descripsit, sed & vivâ imagine in se ipso expressit, dum anno ætatis suæ 126. sub Rege Manasse ferrâ lignea dissectus est: *Unde patet*, ait Cornelius, *Isaiam morte sua per lignum præfigurasse mortem Christi in ligno crucis.* Cornel. in Comment. in
Hic ergo talis ac tantus vir de regia profapia oriundus, ubi mirabilem illam visionem de Deo uno & trino habuit, & cum insuper à DEO audiret: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* ut videlicet populo Israëlítico salutem, si DEUM sequerentur, secus, si in sceleribus permanerent, interitum annuntiaret, ultrò & sine ulla mora se ipsum ad omnes labores & passiones obtulit pro honore Dei & salute proximi perferendos: *Ecce ego, mitte me.* Isa. 6. 8.

En pulcherrimum typum in Christo JESU expletum, qui Patri suo coelesti interroganti: *Quem mittam? & quis ibit nobis* ad mundum in peccatis deperditum redimendum ac salvandum? ultrò ac voluntariè se obtulit: *Ecce ego, mitte me.* Ego, ego paratus sum pro salute hominis omnia sustinere tormenta, ac tandem in cruce mori. O abyssus bonitatis! tantane res erat salus peccatricis animæ meæ, ut tota vita Christi JESU crux esset & martyrium? de qua veritate plura in sequenti consideratione videbimus.

2. Ju-

Math. 1. 3.

2. Judas Patriarcha ex Thamar genuit Phares & Zaram, & ecce cum Zarah nasceretur, manum de matris utero emisit, cui mox obstetrix coccinum, seu rubicundum funiculum alligavit, & ipse cum coccino hoc subito manum in matris uterum retraxit: *Unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum.*

S. Paschal. in
c. 1. Math.
Luc. 1. 78.

S. Paschasius ait, quod Zarah idem sit quam Oriens, alludens ad illud Zachariae canticum: *Visitavit nos Oriens ex alto &c.* Observa: Oriens ille ex alto erat Christus Dominus Deus & Salvator noster, per coccinum autem intelligitur passionis Dominicæ indicium, quod Zarah retraxit ad se in matris uterum, quia Christus jam in utero materno passionem suam inchoavit, & se ad crucem paratum exhibuit: *Eleva mentem,* ait Sandæus in suo Staurophilo, *& cogita, quomodo Christus in Matris utero subeunda passionis vinculo se obstrinxerit &c.* Juvat hic etiam audire Eminentissimum Cardinalem Robertum Bellarminum: *Tota,* inquit, *Christi vita perpetua passio, & passio crucis dici potuit; siquidem ab ipsa conceptionis hora cognovit sibi crucem esse paratam, & semper eam ante oculos habuit, ut verè dici possit toto vita sua tempore in cruce pependisse.*

De Gemitu
columbæ l. 2.
cap. 3.

Exod. 2. 3.

3. Moyses in lucem natus in fiscella scirpea reclinatus, & in directo ripæ fluminis expositus est. Christus in stabulo natus in vilissimo præsepio (crucis typo) reclinari voluit, ubi duo jumenta, asinum & bovem socios habuit, in cruce verò duos latrones: *Et cum sceleratissimus reputatus est.*

Isa. 53. 12.
Isa. 9. 6.

De hoc divino Parvulo Isaias vaticinatus est: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus; non erat autem alius principatus ille quam crux, quam jam tunc in humeros suos suscepit.*

Exod. 4. 25.

Sephora acutissimam petram tulit, quâ filium suum circumcidit dicens: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Christus parvulus octavo post nati- vitatem die simili plagâ sauciatus est. Verè ô mi JESU! jam tunc Sponsus sanguinum animæ meæ factus es; quæ primâ sanguinis effusio illa aurora fuit, quæ nobis cruentam illam pluviam suo tempore in passione & in cruce futuram præfigebat: *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari; & quid sequitur? Et facta est pluvia grandis, hoc est in cruce.*

1. Reg. 1. 24.

4. Samuel puerulus à piis parentibus ad domum Domini in Silo adductus, & ibidem DEO oblatus est. JESUM infantem parentes ejus DEO Patri in templo Solimæo in pacis offerebant victimam, ubi Simeon illi futuram crucem, Matri verò doloris gladium prædixit:

Luc. 2. 35.

Ecce positus est hic in signum (hoc est crucem) cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Cumt

Cum interficerentur omnes filii Ochoziæ Regis, solus Joas puerulus per Josabam salvatus, & alium in locum translatus est. Christus puerulus ut subduceretur impio Herodis gladio, à Joseph de nocte in tempesta Angeli monitu absconditus; & cum SS. Matre Jesus in Ægyptum delatus est: *Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Supra quod Salmeron: *Dum Parvulus est, fugit, magnus autem ultro se offert petentibus eum ad mortem, mortem autem crucis, noluit enim ferro occidi, sed ligno.*

5. Tobiam juniorem, cum in alienam profectus esset regionem, & die statuto non ad patriam reverteretur domum, parentes ejus amarissime desebant lacrymis. Christum puerum duodennem per triduum perditum, & sollicitè quaesitum parentes ejus piis deplorabant lacrymis ac suspiriis; tandem eum reppererunt in templo; ubi ad eum pientissima Mater: *Ecce pater tuus & ego dolentes quarebamus te.* Per triduum illud S. Ambrosius triduum passionis intelligit, ubi fuit amissus JESUS, & tertio die in resurrectione sua de novo inventus. Et quid interim? S. Eucherius, quòd JESUS jam tunc inter alia accuratè observaverit omnes victimas DEO Patri suo immolatas, ipse enim per omnes ejusmodi cruentas victimas erat præfiguratus, in cruce aliquando, hoc est post 21. annos, immolandus: *Erat igitur Jesus, ait memoratus S. Eucherius, in solemnitate, qui totus erat causa solemnitatis; ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificiis offerrebat.* Ecce quomodo JESUS semper ad crucem suspiravit.

6. Adam protoparens noster de luto terræ in agro Damalceno à DEO formatus, in paradysum ab Angelo translatus est, *ut operaretur, & custodiret illum.* Et paulò post capite sequenti illi insinuatum est: *In sudore vultus tui vesceris pane.* Hoc & Adam secundus longè innocentioris vitæ, Christus Dominus à prima pueritia fecit, de quo Vates Regius: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Et idè in patrem nutritium sibi elegit non divitem, non Monarcham præpotentem, sed pauperculum, fabrum lignarium, ut ante oculos suos in officina semper haberet instrumenta passionis suæ, crucem, malleos, forcipes, clavos ferreos &c. *Quia, ut ait Gerson, ex ligno natura humana est perdita, idè conveniebat, ut pater lignarius diceretur, pater recuperationis & restorationis.*

S. Gregorius hujus nominis Papa septimus, cum adhuc puer esset & literarum planè rudis, contemplans in officina patrem suum fabrum lignarium tam sedulò operi incumbentem & laborantem, ipse interim lignorum sarmenta collegit; ex quibus in ordinem dispositis hæc verba efformavit: *Dominabitur à mari usque ad mare.* Eventus rem probavit, dum successu temporis ab uno gradu semper ad altiore ascendens,

Gimber Unus pro omnibus.

U

tan-

154 *Consideratio XL. Tota vita Christi crux & martyrrium.*

tandem Papa creatus est, Ecclesiastica libertatis propugnator acerrimus, cujus humero dextro inter sacrificandum columba candida insidere conspecta est; cui inter tot pericula & curas pastorales lacrymanti & imago B. Virginis Mariæ collacrymari visa est.

Et quid dico de Christo adolescente & juvene? Observant SS. Patres, quòd per octodecim annos cum S. Josepho strenuè tractaverit fabrilis, nunc ligna disponendo, nunc illa metiendo, nunc securi ad fabricam aptando, nunc ferram cum Patre suo reciprocando, nunc aedes construendo &c. O summe DEUS, qui fabricatus es auroram & solem, & qui jam tunc dominaberis à mari usque ad mare, imò ad ultimos fines terræ, quousque te abjecisti meæ salutis causâ? Addit S. Justinus Martyr: *Faciebat opera, & juga consciens, & carpenta, quibus nos in cælum veheret; Carpentum autem, quo nos in cælum veheret, non aliud erat quàm crux, ita & S. Ambrosius, qui Sanctam crucem nominare solebat currum triumphalem.*

S. Just. n. M.
lib. de Relig.
Christ.

7. Et quid dico ulterius? Sedebat JESUS ex itinere lassus circa meridiem, seu horâ sextâ diei ad fontem Jacob sitiens, & potum à Photina muliere Samaritana postulans: *Mulier, da mihi bibere;* & quid sitiebat fons ille omnium gratiarum ac benedictionum? R. S. Antonius Paduanus: *Nostram salutem, pro qua paulo post sanguinem suum fudit.* Sitiebat autem horâ sextâ, subintrat hîc iterum Divus Antonius Pad. *Ista est hora, quando JEsus sedit in fonte misericordiae super crucem.* En continuam sitim Christi Domini, benignissimi Salvatoris tui ad crucem ac passionem, unde filiis Zebedæi primatum in regno Dei quærentibus dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?*

Jo. 4. 6.

S. Ant. Pad.
hic.

Marc. 10. 38

Denique imminente passione, ubi JESUS Jerosolymam ascendit, ibat præcurrens in via suos discipulos, cum illis de sua differens passione, ubi observat S. Marcus, quòd Discipuli sibi timuerint eò ascendere: *Erant autem in via ascendentes Jerosolymam: Et præcedebat illos JEsus, & stupebant, & sequentes timebant.* Supra quod Glossa Interl. *Præcedebat quasi unus moriturus pro omnibus, ad mortem imperterritus: Stupebant ex hoc, quòd ita promptè & hilariter ibat ad locum passionis.* Et tu quid, si crux tibi imminet, anime mi? Audi S. Augustinum: *Tota Christiani hominis vita, crux est atque martyrrium.* Audis hoc?

Marc. 10. 32

S. Aug. serm.
32. de SS.



CON.